

3. τὰ δημηγορικά.

Sufficiunt huic capiti *duæ conciones*, quarum 1. habenda ex comminatione & priori parte consolationis. 2. ex parte hujus posteriori.

v. 15. & 16. pertinent ad festum Nativ. Christi.

## CAPUT XXXIV.

*Nexus.*

**H**abita fuit hæc Prophetæ concio, sicut proximè præcedentes tempore obsidionis *Hierosolymitanæ*, sed ab eo ex carcere jam dimisso, uti apparet ex v. 1. Et sicut illæ maximam partem fuerunt consolatoris: ita hæc contrà tota est *comminatoria*.

*Argumentum capitis.*

Propheta ad mandatum Domini, *partim Regi, partim regno* universo fatum suum prænunciat. Caput igitur istud in genere est *προφητικόν*; in specie verò *ἀπὸ ληϊκόν*.

*Partitio capitis.*

Prodeunt hinc *duæ capitis partes*; in quarum 1. Regi usq̄ve ad v. 8. In 2. autem universo regno fatum prænunciatur.

*Usus.*

Discant inde præcones verbi uti *παρρησια* in officio *ἐλεγκτικῶν* non tantum erga subditos, sed etiam erga Magistratus in sublimitate constitutos exercenda.

*Explicatio 1. partis.*

Prior pars duobus constat & absolvitur membris. In (1) mandatum Jehovæ ad Prophetam promulgatur. In (2) Obsequium Prophetæ erga JEHOVÆ mandatum celebratur. Circa *mandatum Jehovæ* duo ex textu consideranda veniunt; quorum (1) *Notatio temporis*, quod dicitur incidisse in illud tempus, quo *Nebucadnezar* cum exercitu suo ex variis populis & gentibus collecto expugnatis cæteris urbibus Palæstinæ, exceptis tantum duabus, *Lachi* nempe & *Aseka* v. 7. urbem *Hierosolymam* obsidere cœpit. (2) est *Mandati Argumentum*, quod ad tria referri potest capita; quo-

7.1.

7.2.

Aa 2

rum